



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Censibus. Consilium CCCCXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

adiecerunt; non Reo, cuius intentio fuit, non in creditum certæ pecuniæ ire, sed redditum vendere & constituere: ut suis necessitatibus sic comparatâ promptâ pecuniâ succurreret; & ab initio non pecuniæ, sed redditus debitorem se constitueret: cum pecuniæ numeratio ad restitutionem, præfertim ad voluntatem creditoris, plerumque in expedito non fit, *l. Si dubitet in fine princ. de iudic.* Et hæc in parte commodius Actoribus obijci potest, quod ipsi ex Innocentij Tertij Papæ constitutione, *m. c. Quia frustra De iuris.* parum appositè Reo obijcere videntur, de commodo percipiendo ex vitio, quo ipsimet laborant. Ut ergo sit, & revera est, nulla hæc de reddenda sortè pactio; nulla tamen dici nequit redditus constitutio, utiliter, & secundum formam & præscriptum juris, sine ullo vitio facta; sed tantum ex Actorum, quamvis irrito conatu aliquo modo deformata, sed non everfa per adiectionem pacti de reddendâ sorte superveniente dicto casu.

Ex quibus considerationibus quoque præservatur hæc redditus constitutio adversus vitium, quod per dicta dubia constituitur in altera pactio, quâ fors velut hypothecæ subijcitur, si redditus suis pensionibus non solveretur. Nam hæc tantum inutilis accessio locum obtinent, nec ejus vitium pertingit ab id, quod principaliter eo contractu actum fuit; hoc est ad redditus constitutionem, quæ sine hoc pacto per se firma stare potest. Cum alioqui per se hujusmodi pactio tam illicita non sit, neque venditorem præcisè constingat ad sortis restitutionem ex voluntate creditoris, ut eleganter deducit præfatus Gabrielius, *d. consil. 152.* Sed longius quam constitueram currente calamo efforor in re, aliorum prius consultorum diligentissimâ exactissimâque operâ, plenè & aperte discussa. Accedendo itaque his, quæ per dictos Consultissimos Dominos benè deducta sunt, existimo errorem esse in dicta Amplissimorum Dominorum, qui secundo loco judicaverunt, sententiâ, eumque ob id per remedium revisionis corrigendum, & spectatissimorum Dominorum Scabinorum sententiam per omnia confirmandam, Actorisque in expensis omnium instantiarum condemnandos esse.

De Censibus.

S V M M A R I V M.

Reditus annuus ubi solvi debeat.

1. Rusticitas olim simplex, nunc corrupta.
2. 4. Solutio redditus quo loco fieri debeat.
3. Censui plerumque debentur pro recognitione.
5. Responsio censetur fieri sub qualitatibus in interrogatione expressis.
6. 9. Solvendi consuetudo attendenda.
7. Pagi subiacere censentur legibus & consuetudini vicinorum oppidorum.
8. Creditor quando possit debitori assignare locum solutionis, & illum alterare.
10. Forum idem sortiri qui dicatur.
11. Creditor vilis cogitur semper adire debitorem hesitum & è contra, pro solutione.
12. Solutio quo loco fieri debeat in equo bono consistit.
13. Expensas utriusque instantia luere debet appellatus, si ex ipsa actus prior sententia retractetur.

CONSILIVM CCCCCI.

Conf. Wamef. Tom. II.

IN hac appellationis causa, quæ coram Reverendo Domino Abbate Monasterij S. Gertrudis Oppidi Lovaniensis introducta est, inter Henricum M. uti Receptorem bonorum Reverendæ D. Abbatissæ de Herckenrode Actorem & Appellantem; & Henricum Goens Reum & Appellatum: * nihil aliud ferè conspicitur, quàm rusticitas, non dico simplex aut sancta, qualis olim in fervore devotionis atque integritate religionis, & simplicitate vitæ esse solebat, *l. ult. C. De testam. Bart. in l. Eo iure in quib. causis pig. vel hypoth. tacite contrah.* sed contumax ac præfracta; erectâ cervice adversus Ecclesiasticas personas, gliscente paulatim etiam in rusticis novandæ religionis, & extirpandarum, aut coangustandarum Ecclesiasticarum personarum studio. Nulla etenim in hac causa controversia est, quàm an census ac redditus duos, quos Actor nomine dicti Monasterij à Reo pro anno sexagesimo secundo cessos; petijt, in domo Rei petere ac recipere, an verò Reus ad Actorem seu prædictum Monasteriū ferre &olvere debeat, cum tamen Reus in conspectu & vicinia dicti Monasterij domicilium foveat? Et quoniam Magister Ioannes Inquius ex delegatione D. Officialis in conceptione ac pronuntiatione sententiæ à quâ Iudex, in hoc controverso articulo pro Reo rustico iudicavit, declarando quod Actor petiit debitum, & per Reum recognitum, ac in iudicio verbaliter oblatum, in domo domicilij Rei requirere, ac ferre debeat, iusta nobis visa est provocandi ab eadem sententia occasio; & ob id paulò majore molimine, quàm hæc ipsa causa postulat (quoniam non de principali debito, quod extra controversiam est, sed tantum ferè de expensis, in quas Actor condemnatus est, quaritur) eum aticulum, in quo cardo, & status causæ versatur, tractabimus: quoniam ad exemplum hæc respertinet & rem inauditam (ut omnes testes in prima instantia producti depouunt) continet, magnūque adversus Ecclesiasticos perviciacia & irreverentiæ fomentum rusticis præbet, qui hoc exemplo edocti, posthac redditus, census, & canones, quos Ecclesiæ admodum minutatim, ac per parvas summas debent, ultrò allaturi aut soluturi non erunt; sed Ecclesias in necessitatem conijcient plures Receptores ac Ministros alendi; qui per rusticorum domos singulis annis eos census, ac redditus colligant: sic ut cum hac in re majus periculum Ecclesiæ, & Ecclesiasticis imminet, diligentius in veritatem juris inquirendum sit.

In abstracto itaque primum & generaliter resolvendo hunc articulum, an debitor cogatur ultrò post diem solutionis præstitutum ad domum creditoris ferre annuos redditus; an verò contra creditor adire debeat domum sui debitoris, ut ibi ab eo solutionem recipiat? Dicimus excommuni & concordi omnium Doctorum sententia, *Bart. & aliorum in l. Item illa, De consil. pecu. Baldi in l. ult. nu. 8. C. De condit. inserti. & in l. Accepim nu. 22. C. De usur. Ioan. de Imola in l. Cum filiusfamil. §. fin. De verb. oblig. & in c. Signif. nu. 22. & seq. De pig. plurimū referre* cuius generis sint redditus; an ratione subiectionis aut reverentiæ debeantur; ut sunt censuales, feudales, emphyteutici, libellarij, vel tributarij;

Pp

tributarij;

tributarij; an verò alij redditus emptij, aut aliter super re aliqua immobili constituti. In primo enim genere redditus habent annexam recognitionem dominij, vel exhibitionem reverentiae, propter jus vel directi dominij, vel superioritatis aliqujus apud creditores residens: ita ut horum reddituum obligatio non consistat in solo debito, aut emolumento pecuniario; sed habeat annexam obsequij, honoris, & reverentiae exhibitionem, Bald. in l. fin. c. De condit. inseri. Proinde hoc casu, propter dictam reverentiam & recognitionem, oportet, ut debitor creditorem, atque ejus domicilium adeat, quocumque etiam loco is habitet, ut eleganter tradit Baldus, in d. l. Acceptam nu. 23 & Baldi sententiam approbando sequitur Carolus Molinaeus, in tract. de iur. q. 9. nu. 127. & ad consuet. Paris. tit. 2. De censib. §. 62. nu. 3. * Hujusmodi enim census & canones plerumque solvuntur propter abalienatos fundos ab his, quibus debentur, & pro recognitione hujusmodi abalienationis consistunt: quae in exigua quantitate annua, ob quam si creditor debitorem adire deberet, impensa itineris fructum ederet, aut molestia inutilem faceret, Balas d. nu. 23.

In alijs redditibus annuis, qui in solo commodo pecuniario consistunt, ut sunt vulgares redditus, vel empti, vel legati, vel donati, aut alia ratione citra speciem superioritatis aut obsequij constituti, primum hoc inspicendum est, an in constitutione redditus dictum aut conventum sit, quo loco fieri debeat solutio, vult. Capitul. consil. 24. Videtur vol. 2. aut an sit aliqua, in forma & modo solvendi, loci, ubi debitor degit, consuetudo, quae omnino ante omnia servanda erit, Bald. in d. l. ult. nu. 9. c. De cond. inseri. Ut generaliter in omnibus juris partibus peculiaris conventionis, l. i. §. si conveniat d. De posui, consuetudinibusque, priusquam juris communis, ratio habenda est, l. De quibus De legib. Quod si expressa conventio, vel consuetudo peculiaris nulla sit, circa modum faciendae solutionis ea adhibetur distinctio, an creditor & debitor sint diversi, an ejusdem fori, ut priore quidem casu creditor debitorem ejusque domum adire debeat pro consequenda solutione, Doct. in l. Item illa De consil. pecunia Ioan. de Imola in l. Cum filiusfam. §. ult. De verb. oblig. ut ibi fiat exactio, ubi debitum peti in iudicio potest, l. Iuris ordinem c. De iur. iur. §. o. n. cum nemo debeat in alienam provinciam se conferre, ut suo creditori solvat, Alex. consil. 92. respectu huius nu. 9. vol. 1. Car. Ruinus consil. 131. Quia proponitur vol. 1. Posteriore verò, ubi ejusdem loci seu fori sunt, cogatur debitor ad creditorem, ejusque domum ire, ei que redditum, qui in pecunia consistit, & sic sine sumptu, sine magno labore, ac detrimento solvi potest, ibi solvere; non etiam, si redditus in frumento, aut alijs frugibus consistat: quia hi sine sumptu, aut saltem sine labore solvi alio loco non possunt, Las. consil. 8. Reiecit quibus sumque vol. 1. Car. Molin. d. n. 137.

Hac est simplex & generalis juris in hoc articulo definitio. Quam ad praesentem litem accommodantes, & demonstrantes, quod Iudex primae instantiae ad hanc Iuris veritatem non satis adverterit, sed omnino aberraverit, dum per suam sententiam Reverendam Dominam Abbatissam in persona sui Receptoris ad eam necessitatem

condemnavit, ut hos controversos duos redditus in loco domicilij Rei requirere & ferre debeat. Diximus in primis constare, quod hi duo redditus, qui in hac lite à Reo per Actorem petiti sunt; alter scilicet de quatuor cum dimidio florenis bonae monetæ; alter de tribus antiquis, seu veteribus grossis census, non sunt vulgares & nudi seu absoluti pecuniarij redditus, sed redditus censuales, quia ex ipso citatorio seu literis monitorialibus, per quas Reus coram Domino Officiali in jus vocatus fuit, liquidissime apparet, quod appellantur ac baptizentur census.

Cum itaque Reus simpliciter & absolute confessus fuerit se teneri in debito petito, qualitatem & naturam debiti quoque confessus praesumi debet: simplex etenim, & absoluta confessio, nullis limitationibus restricta, accipienda & interpretanda est secundum propositam actionem: quemadmodum responsio certa, & liquida in sui substantia quoad verbum obligativum, imperfecta tantum quoad qualitates, & circumstantias materiae subiectae, declaratur per praecedentem interrogationem quoad dictas qualitates & circumstantias, quae suppleantur ex expressis in interrogatione, l. si defensor §. qui interrogatus De interrog. ad §. praeterea inst. De iur. iur. Car. Molin. ad l. i. §. si qua ita nu. 22. De verb. oblig. Quia etiam responsione seu confessione Actor contentus, de hac censuali qualitate horum reddituum probanda sollicitus amplius non fuit, alioqui facile per exhibitionem antiquorum dicti Monasterij Registorum (quibus fides adhiberi solet, c. ad audientiam & ibi sim. & alij de praescript. DD. in l. Censui De probat.) id probaturus. Cum ergo praedicti redditus, de quibus hic controversitur, sint censuales redditus, debiti ratione fundorum olim majoribus Rei per Monasterium (uti verosimile est) concessorum, vel in censum, vel in emphyteusim, secundum supradictam communem omnium Doctorum resolutionem; indubitatum est, quod exceptio Rei ex loco dilatoria, quod scilicet Actor illos ferre deberet in locum habitationis Rei, nullo modo fuerit fundata; sed per Dominum Officialem, ejusque Commissarium reiici debuerit, & Reus condemnari solutionem Actori, vel in domo suae receptionis, vel in ipso Monasterio facere: quia Reus obligatus fuit hunc redditum deferre ad Monasterium, seu ejus Receptorem, & ibi solvere; non expectare, donec vel ipsa Abbatisa, vel Receptor ad eum veniret, Bal. Molin. & alij loci supracitati. Quae sola consideratio detegit errorem dicti D. Commissarii; qui ad hanc juris decisionem non advertens Actorem cum ingenti praesudicio dicti Monasterij non absque summa iniquitate condemnavit, ut liquidum & confessum debitum in domo debitoris requirere ac petere debeat; absolvendo etiam in effectu Reum ab instantia iudicij, dum per suam sententiam praecipit, ut literae citatoriae per Actorem impetratae, cum inde sequitis cessent; quasi scilicet non licuerit Reum in jus vocare, non petito hoc censu in domo habitationis Rei. Sic ut & haec absolutio, & dicta condemnatio five declaratio, nullum juris fundamentum habeant; multo minus subiecta expensarum omnium totius litis condemnatio. Et

Et quamvis hic ulterior investigatio ac deductio fieri possit, cum ad obtinendam retractationem prædictæ sententiæ hæc unica ratio, & consideratio ex natura & qualitate petitorum reddituum sufficiat; quia scilicet sunt census, & canones in qualitate census petiti, ac per Reum simpliciter confessati: ut tamen iniustitia prædictæ sententiæ & dicti Iudicis inadvertentia magis ac magis detegatur, hoc addimus, quod etiam si hi duo petiti redditus non censuales essent, nec deberentur ratione alicuius subiectionis, recognitionis, obsequij, aut reverentiæ; sed essent simplices pecuniarii redditus, in solo comodo pecuniario consistentes, & tantum impositi: adhuc tamen urgeri non deberet D. Abbatissa, seu ejus Receptor illum in domo habitationis Rei requirere ac petere: ob id, quod in actis sufficienter extet probata consuetudo Comitatus Lothensens & præsertim Oppidi Hasselteni, aliorumque vicinorum locorum, & peculiariter quoad redditus dicto Monasterio debitos, quod illi per debitores deferri debeant ad creditores; præsertim quando Ecclesiæ seu ecclesiasticis Collegijs debentur, quodque Receptores Ecclesiarum non soleant ipsos debitores adire, *Steph. Bertrani. conf. 362. Si est verum vol. 2. part. 1.* Quinimodo constat quoque idem satis ex confessione Rei, quæ confitetur, quod in Oppido Hasselteni bis rerve in domo Receptoris solverit: quæ consuetudo in modo faciendæ solutionis ante omnia (ut diximus) inspicienda & continuanda est, *Bald. in l. fin. nu. 9. C. De cond. infert.*

Cessante quoque consuetudine, ac consistendo in meris terminis juris, adhuc nulla incumbit dicto Actori seu Receptoris necessitas requirendi aut forendi debiti in domo Rei, etiam si merè pecuniarii essent hi redditus: nam tam ex actis primæ, quam hujus secundæ instantiæ constat, Reum suam habitationem habere in loco, seu pago de Kermpt & quod sic sine intermedio loco sit vicinus dicti Monasterij. Imò quod amplius est, constat, ratione ejusdem pagi Reum esse iustitabilem sub loco de Curingen in territorio cujus loci situm est dictum Monasterium, ut rei evidentia manifestum est: ita ut propter identitatem fori, & loci vicinitatem secundum supradicta, *Dott. in d. l. Item illa*, Reus, qualiscunque hic redditus tandem esset, cogatur illum deferre vel ad ipsū Monasteriū vel ad domum, quam idem Monasterium in dicto Oppido Hasselteni habet, & in qua Actor residet; quo Oppido aliud vicinū Oppidum dicto pago de Kermpt non est. Sic ut hic vicus seu pagus de Kermpt huic Oppido respondeat & velut communis Oppido cum vicinis pagis subiaceat. *l. Qui ex vico ad municip. & in quod Reus, alijque circumvicini*, quæ venalia habent singulis septimanis in nundinis, seu diebus fori deferre solent. Et sanè cum tanta sit debitoris ac creditoris in hoc casu vicinitas, potueritque sine ullo sumptu, aut gravi labore, vel mediâ unâ horula Reus hoc debitum solvere, vel in ipso Monasterio, quod est vicinissimum, vel in dicto Oppido Hasselteni, ubi Receptor ordinariam residentiam habet, non debet Actor, seu sub persona Actoris Monasterium arctari, ut pro solutione adeat domum de-

bitoris, qui sub eodem foro, imò in eadem vicinia est: in vicinia enim esse intelligitur, quod intra milliare est, *l. Mille passus & ibi Gloss. De verb. signif. l. 4. §. si tam vicinum De dam. infecto.*

Neque ad rem facit, quod Actor alio loco habitet, alio loco sit Monasterium: nam ex citatorio non constat, quod Actor monuerit, aut condemnari petierit Reum, ut solveret præcisè in dicto Oppido Hasselteni, sed paulò post citationem declarando suam intentionem, uti potest *l. si quis intentione ambigua De iudic.* non obscuram significationem fecit, quod Reus potuerit solvere, vel in ipso Monasterio, vel in domo Monasterij in Oppido Hasselteni: quamquam eam electionem deferre non debuerit, cum sit in potestate creditoris, qui in eadem vicinia seu eodem territorio cum Reo est, designare locum in eâ vicinia seu territorio, quem debitor solutionis gratiâ adeat; & eundem locum in eodem territorio sæpius allegare, *Marc. Ant. Natta conf. 513. Cum vendidisset nu. 4. vol. 3.* prædicendo tantum, indicando tempellivè Reo, quo loco solvere debeat: quia per hujusmodi alterationem seu mutationem loci, non gravatur debitor, si aliquot passus longius eat sine suo sumptu; vel si parum ultra, quàm prius, ex longitudine viæ, seu distantia loci gravaretur, non elicit id curandū, nec ex illo debitori remittenda necessitas eundi ad suum creditorem in eadem vicinia vel territorio, quamvis paulò longius quàm prius habitantem; ut eleganter tradit Baldus, *in d. l. Acceptorum q. 14. nu. 24. & sequitur Iason in l. 2. quasi. 29. nu. 94. C. de iure emphyt.* * Præsertim cum in proposito satis constet ex antiqua consuetudine, debitores dicti Monasterij in vicinia ejusdem Monasterij, vel in dicto loco de Curingen, vel in dicto Oppido de Hasselt (quæ omnia sunt vicina, & contigua loca) consuevisse solvere in domo Receptoris; quæ consuetudo admittenda, & servanda est; cum etiam attendere, atque observari deberet, si re in contrarium actâ, consuetudo loci esset, ut debitores, etiam censuales, seu emphyteutici non solverent in domo directi domini, seu directus dominus in eorum domo vel agro petere & solutionem recipere consuevisset; quo tamen casu certum est, ex communis juris dispositione, propter reverentiam, propter directum dominum, propter rem, ratione cujus solvitur, ad eundem esse domum creditoris; ut in eleganti specie debitorum censualium cujusdam Abbatis respondit Stephanus Bertrandi, *conf. 362. Si est verum quod proponitur vol. 2. parte 1.* Quod etiam animadvertens Reus formaliter in iudicio primæ instantiæ allegavit, & positivè proposuit, ac probare seu verificare obtulit, quod Receptores dicti Monasterij consueverint recipere in domibus debitorum, eosdemque in domibus suis interpellare; quorum tamen neutrum probavit.

Quibus omnibus addendum, quod in proposita materia identitas fori non restringatur ad eandem parochiam, aut ad unum, idemque pedaneum, vel subalternum tribunal; sed ad eandem viciniam, imò ad eundem Comitatum, *Iason in d. l. 2. quasi. 38. n. 93. Io. de Imola in d. c. Signif. nu. 24. de pignor. vicos*, seu pagos uni civitati subiectos, vicinos, seu correspondentes: prout vici,

& pagi communiter viciniore civitati respondere solent, d. l. Qui ex vico. Ita ut quia in eodem Comitatu Actor & Reus habitant, & quidem prope dictum Monasterium, ut ipse Reus allegat, & præterea non tantum ex testimonijs Actoris, verum etiam ex propria Rei confessione constet, quod Actor ante plures annos, & signanter in eodem illo anno, pro cuius reditu hic controversia est, in parochiali Ecclesia loci de Kempt, ubi Reus domicilium foret, proclamari, & indicari fecerit locum residentiae dicti Actoris in Oppido de Hasselt, cum admonitione faciendae solutionis, nulla relinquitur dubitatio, quin Reus cogi debeat hoc debitum ad domum Actoris ferre.

11 Sed etsi ejusdem fori non essent Monasterium, aut dicti Monasterij Receptor, & Reus; & prædicta juris definitio arctius accipienda esset de eodem pago, & eodem tribunali; & quod reditus controversi non essent censuales aut recognitionales; adhuc tamen in proposito Reus homo villanus, & rusticus, non esset fundatus, nec ferendus ad rejiciendum tam insigne Monasterium, aut ejus Receptorem ad necessitatem exigendi ac ferendi hujus annui debiti in domo habitationis ipsius rei. Quoties enim diversi fori sunt creditor & Reus, & personarum conditio est diversa; hoc est debitor est h. villis, aut rusticus, creditor vero egregia persona; veluti Prælati, Doctor, Nobilis, Religiosa virgo, quam non deceat claustrum egredi, receptus est, quod debitor debeat adire creditorem, retr. Anchar. consil. 86. Pro saciliori n. 4. & contra si debitor in ea qualitate ac statu esset, creditor vero homo villis & rusticus, cogatur hic debitorem adire, etiam si diversi fori essent, argum. l. ad personas egregias de iur. iur. Ioan. de Imola in d. §. fin. & in d. c. significante n. 24. Natura d. consil. 513. n. 4. potissimum cum (ut est in proposito) tam exiguum est intervallum horum diversorum locorum, ita ut rusticus neque de sumptu, neque magnitudine alicujus laboris ex tantilo itinere conqueri possit. * Est enim hæc materia, ut inquit Bartolus, in d. l. Item illa, & sequitur Ioan. de Imola in d. c. significante n. 24 fundata super æquo & bono; & in ea interpretatio fieri debet juxta boni æquitatem, l. Quod pphesi De eo quod cert. loco, non secundum apices juris, nec secundum strictissimum juris rigorem, lason d. consil. 8 n. 3. vol. 1. Ita ut quod se vertat Reus nomine, re, & majoribus verè rusticus, qui in vicinia, imò conspectu Monasterij habitat, & in ostio domus suæ stans, ostium Monasterij videt, & cuius liberi communes elemosynas inde sæpè referunt, nullam habeat effugiendi vim, quin velit nolit cogatur agnoscere se non tantum obligari ad hos petitos reditus, sed ad hoc quoque, quod illos quotannis in Monasterium aut in domum Receptoris ejusdem deferre debeat: quicquid etiam dicatur de natura & conditione eorundem redituum; hoc est si sint recognitionales, siue censuales, ut reverà sunt, siue simpliciter pecuniarij, siue Reus & Monasterium seu eorum Receptor, dicantur esse ejusdem loci & fori, siue diversi: qui confitendo debitum, non debuit adijcere, quod Actor illos in ipsius domo requireret ac ferret; multò minùs dictus Commissarius Iudex à quo, tali malignitati præfati rustici

subserviendo, declarare, quod Actor illos deberet requirere & ferre in domo Rei.

Proinde inreperide dico, dicti Commissarii sententiam retractandam esse, non tantum in ea parte, quā in effectu Reum ab instantia judicij absolvit; declarando quod Actor deberet requirere ac petere petitum & confessatum debitum in domo Rei: verum etiam quoad expensas, in quas Actorem pro tota lite condemnavit. Si enim causam condemnationis expensarum prætexuit, ac sibi præposuit Dominus Commissarius, quod Actor in domo Rei requirere ac petere debuerit, & non petere in iudicio simpliciter, saltem non sine commemoratione loci, argum. l. 2. §. fin. De eo quod cert. loco, hoc est, sine adjunctione, quod Reus Actori ad domum suam venienti, & requirenti solveret errore falsæ causæ lapsus est: cum jam plenissime demonstratum sit, hos reditus in domo, seu domicilio Rei requirendos, petendos aut ferendos non esse. * Ita ut retractato illo articulo de requirendo, 13 & ferendo in domo Rei, expensarum quoque condemnatio retractari, & ad damnum Rei converteri debeat; tam quoad expensas primæ, quam secundæ hujus instantiæ. Quoties enim qui in prima instantia vicit, patitur retractationem sententiæ in secunda instantia, sine novis probationibus; sic ut in effectu ex ipsdem actis in prima, & secunda instantia judicetur, debet in expensis utriusque instantiæ condemnari; quia ex ipsdem actis apparet sententiam manifestè iniquam, Bart. in l. Generaliter §. 1. nu. 8. C. de reb. credit. Alex. and. consil. 172. Visi & opportune in princ. vol. 2. Unde cum in hac secunda instantia nulla nova instrumenta, nec nova testimonia producta sint; sed tantum justificationis appellationis generalis facta sit, & sic ex ipsdem actis ferenda sit hæc sententia, & prior retractanda; consequens quoque est, sic faciendam esse hanc retractationem, ut in utriusque instantiæ expensas Reus condemnatur.

De Censibus.

S V M M A R I U M.

Reditus quando per pignoris distractionem pereat.

1. Registra Collegiorum s. ari.
2. Agere iussu iura certum tempus post illud lapsum amplius agere non potest.
3. Programmata contra creditores quando noceant non comparentibus.
4. Edicta laicorum & statuta non comprehendunt ecclesiasticos.
5. Edictum seu proclama generale quando non officiat.

CONSILIVM CCCCCII.

IN causa Henrici van Werm Magistri ac Mamburni mensæ sancti Spiritus five pauperum Oppidi Thēnensis Actoris; contra Guilielmum G. Reum, satis fundata & stabilita est dicti Actoris intentio, per quam contendit ad vindicationem seu proprietatem reditus unius modij tritici, de & ex seu super fundo in exhibitio libello designato. * Etsi enim Reus respondendo illum negare videatur; ejus tamē veritatem & subsistentiam sufficienter probant exhibitæ per Actorem registra, & inde descriptæ seu extractæ